



**R. P. Sebast. Izquierdo Alcarazensis Soc. Iesv, svpremis
Inquisitionis Senatvs Censoris, Et Olim Complvti SS.
Theologiæ Professoris. Pharvs Scientiarvm**

Izquierdo, Sebastián

Lugduni, 1659

Quæst. 11. Quid sit argumentatio demonstratiua, seu demonstratio,
Quotuplex, & qualis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95620](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95620)

cedentibus quæstionibus constitutas, & stabilitas cum omnibus suis regulis perinde prorsus in argumentationibus de terminis infinitis, ac definitis locum habere. Quia termini infiniti termini quidam communes sunt, in nihilo quod ad rem attinet, diversi à finitis, nisi quod plerisque earum communiores sunt, siue vniuersaliores. quod ad propositum non interest, ut constet. Vnde non bene aliqui Logici de hac doctrina subdubitalle videntur, ut cernere est in Lync. *suprà*, capite secundo, quod viderint aliquos syllogismos de terminis aliquibus infinitis legitime concludere sub forma, quæ in syllogismis definitis locum non habet: etenim hoc inde non nascitur, quod Artes, regulæque tractatæ pro syllogismis de terminis finitis non sint eodem pacto communes syllogismis de infinitis. Sed quod syllogismi aliqui de infinitis, à communibus utrorumque regulis exorbitantes æquivalentes esse possunt aliquibus legitimis definitis, seu mutuo cum illis connexi, eoque titulo perinde atque illi concludentes legitime. Id quod in aliquibus syllogismis de terminis finitis contingit ob æquivalentiam, quam habent cum aliis legitimis, ut mox ostendam, tantundemque in aliis argumentationibus à syllogismis diuersis euenire potest.

273 Enimvero cum propositio affirmatiua de prædicato infinito æquiualeat, seu mutuo connexa sit, negatiua de prædicato finito; similiterque negatiua de prædicato infinito, affirmatiua definitio, ut *suprà* disputatione decima nona, quæstione 6. suppositione quinta, statuimus. Huic legitimo syllogismo in *Darij*, Omne non animal est non homo: Aliquis lapis est non animal: ergo aliquis lapis est non homo, hic est æquiualens seu mutuo connexus. Nullum non animal est homo: Aliquis lapis non est animal: ergo aliquis lapis est non homo. Eoque iure bene concludens cum tamen à regulis Artis multum exorbitet. Primo, quia procedit ex ambabus præmissis negatiuis. Secundo, quia ex antecedenti negatiua concludit affirmatiue. Tercio, quia habet quinque terminos. Quarto quia non habet medium positum bis in antecedente, &c. Vnde non ratione formæ, sed solum ratione materiæ concludit bene, ob æquivalentiam scilicet, seu mutuam connexionem quam ea habet cum materia prioris formæ legitimam habentis, tantundemque est de aliis huiusmodi. Quo etiam pacto hic syllogismus de omnibus terminis finitis. Nullus homo est nudus, aliquod rationale est homo: ergo aliquod rationale est vestitum, bene concludit ratione materiæ, (etsi sit vitiosus quoad formam, utpote habens quatuor terminos, & concludens affirmatiue ex vna præmissa negatiua) quia æquiualeat huic legitimo, in *Darij*: Omnis homo est vestitus: aliquod rationale est homo: ergo aliquod rationale est vestitum. Pariterque censendum est de similibus, de cæterisque argumentationibus huiusmodi ex quo patet ad quæstionem propositam.

QVÆSTIO XI.

Quid sit argumentatio demonstratiua, seu demonstratio quoduplex, & qualis.

Bisariam sumitur demonstratio. Primo latè ²⁷⁴ pro quauis argumentatione siue euidenti siue probabili inferente verum ex vero. Quo sensu dixit Clemens Alexand. libro octauo, *Sermonum*. ex veris aliquid concludere, est demonstrare. Secundo strictè, pro quauis argumentatione inferente euidenter consequens ex antecedente euidente. Quo pacto accipi solet communiter à Philosophis. Tercio strictius pro argumentatione inferente euidenter effectum ex causa euidenter præcognita, quomodo eam accepit Aristot. libro primo, *Post. capit. secundo*, ubi postquam dixisset, Scire autem unamquamque rem simpliciter, sed non ut sophista per accidens, arbitramur, cum causam ob quam res est, illius causam esse, & fieri non posse, ut res aliter se haberet, cognoscere arbitramur. Subdit. Demonstrationem autem dico, ratiocinationem eam, qua scientiam efficit, eam verò scientiam efficitur dico, qua sciimus, eam ipsam habendo. Si igitur ipsum scire tale est, quale posuimus, necesse est demonstrationem scientiam ex veris & primis mediisque vocantibus, & ex notioribus, & prioribus ipsa conclusione, causisque eiusdem esse. In quibus verbis duas demonstrationis definitiones supponunt plerique interpretes contineri, cum tamen in rigore altera tantum demonstrationis, altera vero scientiæ demonstratiue sit definitio, ut verba ipsa præ se ferunt, circa quas tamen agentes de demonstratione varias quæstiones excitant, quas summatim tangam, ut sequitur.

Primo enim querunt, quo sensu dicatur demonstratio scientiam afficere, effectiuè causando habitum scientificum, an formaliter quatenus conclusio demonstrationis scientia formalis est? an ex parte inductiue quo pacto præmissæ demonstrationis in conclusionem quæ est scientia, influunt, & ex parte formaliter, quatenus conclusio, quæ est scientia, integræ demonstrationis pars est? censeo hunc postremum esse sensum legitimum.

Secundo querunt, an præmissæ demonstrationis necessario debeant esse veræ: quæ quæstio in eam recidit, an iudicium humanum necessario eo ipso quod est euidens verum sit, vel euidens, & falsum esse possit, de quo nos *suprà* disputatione quarta, quæstione tertia.

Tercio querunt, an præmissæ veriores sint conclusionem, quæ quæstio ab illa dependet, an vna cogitio verior altera possit esse, de quo nos *disput. 3. quæst. 3.*

Quarto querunt, quid quoduplex, & qualis sit euidentiæ & certitudo intellectionum propositionumque, ex quibus constat demonstratio: de quo nos *disput. 4. & 5.*

Quinto querunt, verum præmissæ sint necessario euidetiores, atque certiores conclusionem, de qua quæstione paulo inferius dicemus.

Sexto querunt, qua ratione præmissæ ad causandam conclusionem concurrant, de quo nos *suprà* *disput. 2. quæst. 5. proposit. 4.*

Septimò

281 Septimò quærunt; an & quomodo præmissæ formales necessitent, aut non necessitent intellectum ad eliciendam conclusionem formalem. De quo nos *disputatione septima, questione secunda*. Quodnam autem obiectum habeat conclusio, & quomodo ea à præmissis discriminetur, *disputatione secunda, questione tertia*, declarauimus.

282 Octauo quærunt. An omnis demonstratio debeat constare præmissis immediatis & *Circa quod*, certum est non debere; quia demonstrationes remota à principiis quales pleræque sunt, ex præmissis demonstratis per præuias demonstrationes constant; tamen etiam certum sit omnem demonstrationem à propositionibus immediatis, seu notis, quæ sunt principia debere vel proximè, vel remote suam trahere originem, quod solum voluit Aristoteles verbis relatis, sed de hoc plura à nobis dicentur infra *disputatione vigesima secunda*. Quid sit autem, & quod duplex propositio immediata, seu per se nota iam est explicatum à nobis supra *disputatione decima nona, questione octaua*, multa præterea ab aliquibus hic quæri solent, spectantia ad naturam, & accidentia discursus humani, aut euidentiæ, & certitudinis eius. De quibus à nobis satis est dictum *disputatione secunda, questione quinta, & disputatione quarta, & quinta*, per totas, aut etiam alibi in precedentibus.

283 His positis, ego demonstrationem iuxta secundam acceptionem commemoratam, quæ communior est sic definio. *Est argumentatio, quæ ex antecedente euidente per illationem euidenter consequens euidens inferitur*. Omnis quippe argumentatio, legitima cuius obiectum integrum fuerit euidens demonstratiua argumentatio, seu demonstratio dicenda est. Obiectum autem integrum cuiusvis argumentationis legitimæ tria claudit, antecedens obiectiuum, consequens obiectiuum, & connexionem obiectiuam antecedentis cum consequente in qua illatio nititur. Vt ex dictis *disputatione secunda, questione quinta*, & sæpè alijs satis est notum.

284 Itaque ad demonstrationem in primis requiritur quod antecedens in se sit euidens, deinde quod sit etiam euidens connexio antecedentis cum consequente, ex quibus duabus euidentijs nascetur quod & consequens in se sit euidens. Vt satis constat ex se, & dictis *disputatione quarta*. Ad euidentiā autem antecedentis ex pluribus partibus constantis omnium partium euidentiā requiritur: vt ex se & ex dictis ibidem notissimum est; quia quam certum est non posse totum habere esse quin habeant esse omnes partes eius, tam certum est non posse totum habere esse quin habeant esse omnes partes eius: tam certum est non posse esse euidenter indicabile esse totius, quin euidenter sit indicabile esse omnium partium eius. Vnde fit primo neque ad euidentiā consequentis, neque ad demonstrationem sufficere quod vna ex præmissis antecedentis, sit euidens; quia vnus tantum euidentiā non facit euidens integrum antecedens, ex quo inferitur consequens. Secundò fit neque ad euidentiā consequentis, neque ad demonstrationem sufficere, quod integrum antecedens in se sit euidens, si non est euidens connexio eius cum consequente, quia consequens ex antecedenti non vtrumque, sed prout connexo cum consequente inferitur, vt constat. Tertiò fit quando euidentiā, aut partium antecedentis, aut partium coniuncti ex antecedente, & ex connexione eius cum

consequente sunt inæquales totum ipsum coniunctum indiuiduum suum prout non magis euidens esse, quam est pars habens euidentiā minimam omnium. Vnde fit quanto euidentiā consequentis in tali casu prædicatam minimam euidentiā non posse excedere: quia euidentiā consequentis ab euidentiā antecedentis prout se cum connexi participata maior esse non potest, quam euidentiā coniuncti ex antecedente & connexione prædicta ex quo indiuiduum sumptum illud inferitur. Hæc certa apud omnes.

Est tamen controuersum iuxta quæstionem iudicatam *num. 279*. Vtrum euidentiā consequentis oriunda ab euidentiā antecedentis prout se cum connexi, æqualis saltem esse possit, cum ipsa euidentiā antecedentis ex qua nascitur, vel minor semper esse debeat. Possit esse æqualem affirmant Petrus. Hurr. in *logica disput. 11. sect. 3. Quædo contr. 10. punct. 3. & alij*, debere tamen semper esse minorem tenent Petronius *lib. 1. Post. quæst. 4. articulo 2. Lalemander in logica disput. 9. part. 3. Peñafiel disput. 10. quæst. 3. Spinula disput. 12. sect. 4. Episc. Echazal plures referens disput. 36. cap. 5. & alij*. Quod est probabilius, primo quia expresse est traditum, ex professo probatum ab Aristot. *lib. 1. Post. cap. 2. citato*, & à sancto Thom. *ibidem*. Secundo, quia vt arguit Arist. *semper illud est tale magis, ob quod vnumquodque tale est, veluti magis id est dilectum atque amatum ob quod amamus, atque diligimus. Quare si ob prima scimus ac credimus, & illa scire scimus, ac credimus magis*. Tercio, quia sicut lumen sensibile semper est connaturaliter maius in luminoso vnde nascitur, quam in alijs corporibus in quæ deriuatur: ita lumen euidentiæ intellectualis connaturaliter erit maius in antecedente vnde deriuatur in consequens quam in ipso consequente. Quarto, quia id per quod aliud manifestatur clarius manifestato esse debet; sed per antecedens manifestatur consequens: ergo antecedens clarius, siue euidentijs consequenti esse debet. Quintò, quia intellectus quo plura simul cognoscit eo minus euidentijs cognoscit singula, quia eo minus potest ad singula attendere: ergo quando iudicat consequens, & simul cum illo antecedens (consequens enim non iudicatum simul antecedente, quoad illud iudicandum mouetur, iudicare non potest: vt constat.) minus euidentijs iudicat vtrumque, quam iudicabat prius antecedens seorsum: ergo saltem euidentiā qua antecedens est iudicabile antequam iudicatur consequens, maior est euidentiā qua est iudicabile ipsum consequens. Hæc satis; quia cetera apud præcitos Doctores videri possunt.

Iam pro secunda quæstionis parte, demonstratio in demonstrationem *Propter quid*, & demonstrationem *Quia* diuiditur communiter ab Autoribus ex Aristotele *libro primo Post. capite decimo*, Vbi tamen Aristot. scientiam potius, quæ per demonstrationem acquiritur, quam ipsam demonstrationem diuisit in *Quia* & *Propter quid*: dicens discrimen inter scire *Quia res est, siue rem esse, & siue Propter quid res est*: Et primum quidem tum per causam remotam, tum per quidpiam mutuo connexum cum re scita haberi posse. Secundum verò solum haberi posse per causam proximam rei scitæ. Vnde apud Aristotelem cum scitur quidpiam per sui causam proximam, tanquam per medium, quia non solum scitur id esse, sed etiam *Propter quid* est, id

circo talis scientia dicitur scientia *Præter quid*. Cum vero scitur quidpiam per quodvis aliud medium, quod non est causa immediata eius, talis scientia dicitur *Quia*. Eo quod tum solum scitur quia tale quid est, siue quoddam tale quid est, seu tale quid esse: non vero cur est, seu propter quid est, seu unde proveniat eius esse. Ex quo patet iuxta mentem Aristotelis demonstrationem *Propter quid*, eam solum dicendam esse, quæ demonstratur quidpiam per causam sui proximam; demonstrationem autem *Quia*, quæ demonstratur quidpiam per quodvis aliud medium.

²⁸⁷ Unde rursus fit, non bene confundi communiter à Logicis divisionem demonstrationis in *Propter quid*, & *Quia* cum divisione demonstrationis in *A priori*, & *A posteriori* pro eadem usurpantes utramque. Constat enim ex dictis non omnem demonstrationem *Quia*, esse à posteriori: siquidem demonstratio *Quia* habita per causam remotam, à priori potius quam à posteriori esse dicenda est: & demonstratio *Quia* habita per aliquid simultaneum, & mutuo connexum cum eo quod demonstratur, à simultaneo non à posteriori dicenda est esse. Ex quo rursus apparet, etsi divisio in *Propter quid* & *Quia*, provt intellecta ab Aristotele sit adæquata, eo quod omne, quod scitur demonstrativè, siue demonstratur, non potest non aut per causam sui proximam, aut per aliud medium sciri, seu demonstrari. Divisionem tamen in *A priori*, & *A posteriori*, adæquatam non esse: quia deest tertium membrum scientiæ, demonstrationisve *A simultaneo*. Quinimo quo sensu accipitur à Logicis longius adæquatione distat. Pro eodem enim usurpant esse demonstrationem *A priori*, ac esse per causam: & esse *A posteriori*, ac esse per effectum: cum tamen alia prioritates, & posterioritates sint præterquam causæ, & effectus, ut constat ex doctrina tradita *disputatione decima quinta*. Itaque & est divisio demonstrationis in *Propter quid* & *Quia* provt explicavimus, & est divisio demonstrationis in *A priori*, *A posteriori*, & *A simultaneo*, cuiusvis membra rursus penes diversos ordines prioris, & posterioris expositos disputat. citata subdividenda sunt in *A priori*, *A posteriori*, & *A simultaneo*, secundum seriem, aut temporis aut originis, aut connexionis &c. iuxta ibi dicta. Porro demonstratio *Propter quid*, & *A priori* in seriel originis, iuxta Aristotelem & fere omnes, non solum est ea, quæ habetur per causam physicam influentem physice in effectum, sed etiam ea, quæ habetur per causam metaphysicam ratione tantum nostra influentem in id quod demonstratur, qualis est essentia respectu passionis etiam à se indistinctæ realiter & passio immediatior essentia respectu remotioris iuxta doctrinam à nobis traditam supra *disputatione decima septima, questione decima octava*.

²⁸⁸ Præterea demonstratio sumpta univèrsè in *Ostensivam*, & per impossibile, siue deducentem ad impossibile, siue ad absurdum celebri divisione dividitur. *Ostensiva* est quæ per aliquod, aut aliqua connexa cum propositione demonstranda, prius indicata ut talia, ipsam propositionem ostendit. *Per impossibile*, autem est, quæ ex contradictorio propositionis demonstrandæ aliquid infert impossibile seu absurdum, seu plane falsum, indeque concludit esse falsum tale contradictorium (quia nequit esse falsum consequens

legitimæ illationis, nisi sit falsum antecedens, ut ex dictis in superioribus constat) & consequenter veram propositionem demonstrandam cui contradicit.

Denique demonstratio penes diversitatem cuius dentia, aut metaphysicæ, aut moralis &c. quam habere potest, iuxta divisiones factas supra *disputatione quarta, questione secunda*, in metaphysicam, physicam, & moralem &c. dividi potest: dividitur insuper demonstratio in eam quæ fit per medium intrinsecum, id est pertinens ad materiam propriam scientiæ, de qua agitur, & in eam quæ fit per medium extrinsecum, id est, pertinens ad materiam alterius scientiæ, iuxta dicenda latius infra *disputatione vigesima secunda*. Venio ad tertiam questionis partem, pro qua præteriam dicta multa alia quæ sita fieri solita breviter sunt resolvenda, ut sequitur.

Primo enim quaeritur. Quanam præcognoscenda sint ante scientiam conclusionis, quæ acquiritur per demonstrationem, circa quod fere omnia sunt certa, (tamen nonnulla ab aliquibus controuertantur) præsertim suppositis, quæ à nobis in superioribus tradita sunt. Certum namque primo est, debere præcognosci iudicari, imo & evidenter omnia principia, in quibus demonstratio nititur, provt connexa cum conclusionem, ex eis inferenda. Secundo est certum debere præcognosci per simplicem apprehensionem subiectum, & prædicatum propositionis obiectæ, in quam tendit ipsa conclusio, qua ratione ante omne iudicium nostrum apprehensio simplex terminorum propositionis iudicandæ debet præcedere, iuxta dicta à nobis supra *disput. 2. quæst. 4.* Quod solum censendum est voluisse ibi Aristoteli lib. 1. *Post. cap. 1.* cum docuit ante conclusionem demonstratiuam debere præcognosci subiectum, passionem, & principia, & de subiecto quidem cognoscendum esse, quoddam sit, de passione quid vocabulum significet, de principiis autem quod vera sint: passionem enim pro prædicato usurpavit, quia plerumque est passio, quod conclusio demonstratiua prædicat de subiecto, tamen sæpe etiam sit accidens subiecto contingens. Alia autem præter hæc ante iudicium scientificum conclusioni demonstratiuæ respondens præcognosci non debent, ut constat.

Secundo quaeritur, an detur demonstratio, ut quæ adeo scientia demonstratiua de subiecto singulari, & contingente, & corruptibili: negat Aristotele lib. 1. *Post. cap. 2.* & sequentibus, & lib. 6. *Ethic. cap. 6.* & 14. & cum eo multi logici præsertim antiquiores. Affirmant tamen Petrus Hurt. *disput. 11. logi. cap. 6.* Ouedo contr. 10. *punct. 6.* Peñafiel *disput. 12. quæst. 1.* & 1. *Lync. lib. 5. logi. tract. 3. cap. 2.* & lib. 8. *Metaphysica tract. 6.* Carleton in *logica disput. 49. sect. 1.* Spinula *disput. 12. sect. 1.* & alij recentiores. Circa quod, Dico primo, De subiecto singulari sepius demonstratur, atque adeo scientia evidente demonstratiuaque scitur, seu iudicatur aliquod prædicatum: est certum neque usquam ab Aristotelem negatum: quia de Deo subiecto singularissimo multa demonstrant, tum *Metaphysica* tum *Physica*: de Sole, de Luna, de aliisque Planetis atque de singulis eorum Cælis, quæ subiecta etiam sunt singularia, multa demonstrat *Astronomia*, de accidentibus sensibilibus sensu perceptis, quæ etiam provt talia subiecta singularia sunt, multa demonstrat *Physica*. Imo univèrsè quæ

quæcumque omnis scientia humana demonstrat de subiectis vniuersalibus, de singularibus in eis contentis sumptis seorsim etiam propter talibus demonstrare potest, quia quidquid conuenit conceptui communi eo ipso conuenit singulari propter coalescenti ex ipso conceptu communi, & propria singularitate. Dico secundo, quod in omnibus prædictis scientiis demonstratiue prædicatur de subiecto singulari vniuersale strictè loquendo esse non potest, sed vel singulare, vel particulare, seu vagum necessario esse debet. Quia dum quilibet conceptus quantumvis alias vniuersalis de subiecto singulari actualiter prædicatur non potest non contrahi reduciue ad conceptum singularem, aut vagum, ut constat ex doctrina communi tradita supra disput. 2. quæst. 3. & rursus disput. 17. quæst. 6. cōfessari. 1. Dico tertio, quod in omnibus prædictis scientiis demonstratiue prædicatur de subiecto singulari, semper potest esse singulare: quia debet esse aut singulare, aut vagum iuxta dictum præcedens. Quoties autem est vagum cum euidencia reduci potest ad singulare determinatum, cum euidens sit subiecto determinato à parte rei quidpiam indeterminatum, & vagum conuenire non posse, iuxta doctrinam generalem traditam disput. 10. quæstione secunda, & quinta. Dico quarto, prædicata nihilominus quæ de subiectis singularibus scientiæ supradictæ demonstrant, quamuis ut sic sint singularia, seu singularizata propter dictum est; semper tamen, aut fere semper sunt de suo seu ex se vniuersalia, id est talia, ut in conceptum vniuersalem coite possint cum aliis omnino similibus conuenientibus aliis subiectis. Nam & obiectorum singularium ea sunt nobis notiora, quæ ex se de se sunt vniuersalia; hoc est similia pluribus, ut alias in hoc opere tetigi. Quo sensu interpretandus est Aristot. si quando loquendo vniuersè ad demonstrationem, aut scientiam obiecti vniuersaliter requirit. Locis enim citatis plerumque agit speciatim de demonstratione potissima *Propter quid*, de scientiæque acquisita per illam, quæ per essentiam vniuersalem, tanquam per causam immediatam passio similiter vniuersalis demonstratur, & scitur. Iam vero quod attinet ad contingentia, & corruptibilia. Dico quinto. Omnis demonstratio, omnisque scientia Metaphysica de rebus propter in statu quiditatiuo eo ipso est de necessariis atque adeo in suo genere incorruptibilibus, & quodammodo sempiternis. Quia eiusmodi sunt veritates ad statum rerum quiditatiuum spectantes, quæ ratione disput. 10. quæstione 1. expositum est. Demonstrationes vero, scientiæque Physicæ de rebus propter in statu existentiali plerumque sunt de contingentibus, atque adeo corruptibilibus, siue defectibilibus, loquendo absolute. Quia omnis veritas existentialis, & absoluta distincta à Deo absolute contingens, atque adeo corruptibilis, siue defectibilis est, tamen omnis conclusio demonstratiua, atque scientifica ex suppositione antecedentis, atque adeo etiam principiorum ex quibus inferitur & quorum subinde terminat connexionem necessario sit vera. Quia ex suppositione quod existit connexum, necessario existit terminus, cum quo propter existente est illud connexum: ut constat. quæ omnia certissima sunt, neque vllatenus aduersa menti Aristotel. qui quoties docet, scientiam esse de necessariis, atque adeo indefectibilibus, aut loquitur speciatim de scientia rerum

Pharus Scientiarum Tom. II.

propter in statu quiditatiuo, quam nos Metaphysicam dicimus; aut si vniuersè de omni scientia, certe non de necessitate absoluta conclusionis scientificæ, sed de necessitate eius ex suppositione principiorum loqui censendus est.

Tertio quaeritur. An demonstratio debeat consistere prædicato vniuersali de Omni, secundum quod ipsum, & per se. Affirmat Aristot. libro primo, *Post. per varia capit.* multique eius Expositores sub istis terminis, tametsi alij præsertim ex Recentioribus iam citatis, aut negant, aut limitent, aut explicant: potest autem controuersia esse de prædicato tum præmissarum, siue principiorum, tum conclusionis: tametsi aliqui de solo primo agant. Diciturque prædicatum vniuersale, quod verificatur de pluribus, de Omni autem dicitur, quod conuenit omni, & semper. Secundum quod ipsum, verò quod conuenit subiecto quatenus tali, atque adeo cum ipso reciprocatur siue conuertitur. Per se denique quod per se conuenit subiecto. Pro cuius postremi explicatione quatuor modi dicendi per se ex eodem Aristot. supponuntur. Primus est, quo definitio per se prædicatur de definito. Secundus, quo passio propria per se etiam prædicatur de subiecto, cuius est propria passio. Tertius, quo substantia dicitur per se non vero in alio stare. Quartus, quo causa per se non vero per accidens dicitur influere in effectum. Dico primo. Prædicatum tum principiorum, tum conclusionis demonstrationis non semper est vniuersale formaliter; quia sæpe est singulare. Tametsi aut semper, aut fere semper ex se, & quasi materialiter sit vniuersale, hoc est exactè simile aliis pluribus iuxta nuper dicta. Vnde & quia sæpe etiam iuxta dicta contingens est, neque semper est de omni. Dico secundo. Nec semper est prædicatum secundum quod ipsum, quia sæpe non est passio propria subiecti, sed vel passio communis, vel accidens contingens eius iuxta dicta etiam & postea disputatione vigesima prima, dicenda. Dico tertio, nec semper est prædicatum Per se: quia sæpe neque est definitio neque passio propria subiecti, neque effectus per se eius neque substantia, cum sit aut passio communis, aut accidens contingens aliunde ipsi subiecto obueniens citra vllam causalitatem oriundam ab eo per se, ut ex dictis in præcedentibus colligitur, constabitque ex dicendis infra disputatione citata. Aristot. autem dum prædictas condiciones ad prædicatum demonstrationis exposcit, de sola demonstratione potissima *Propter quid*, cuius prædicata eas habent, censendus loqui.

Quarto quaeritur. Vtrum de entibus per accidens scientia demonstratiua detur? Negant multi Logici fundati in Aristotel. requirente ad conclusionem scientificam prædicatum per se. Sed ego cum Penafiel disputatione duodecima citata quæstione tertia, & aliis Recentioribus affirmo. Quia sæpe demonstratur de subiecto concretum adiectiuum; quod solum est ens per accidens proprie loquendo. Ut constat ex dictis disputatione nona, quæstione prima & secunda.

Quinto quaeritur. An demonstratio debeat consistere principiis propriis non vero alienis, aut communibus? affirmat Arist. lib. 1. *Post. cap. 7.* sed loquitur de demonstratione potissima. Quæ per esse

essentiam tanquam per causam immediate demonstratur aliqua passio eius. Vniuersæ tamen loquendo dicendum procul dubio est cum communi, sapissime conclusiones proprias scientiæ, aut communia ipsi scientiæ & aliis, aut extranea ipsi propriaque alterius ab ea diuersa, iuxta diuisionem scientiarum tradendam *disputatione vigesima prima*. Vnde etiam patet sapissime conclusionem vnius scientiæ per medium demonstrari aut ipsi extraneum, propriumque alterius, aut ipsi & aliis scientiis commune. Quia in idem ferme recidit conclusionem demonstrari per principium commune aut extraneum, ac demonstrari per medium commune, aut extraneum. De quibus omnibus in sequentibus plura dicenda sunt. Verum autem in demonstrationibus fas sit admittere circulum aut regressum inferius *disputatione vigesima secunda*, explicabimus: ubi plura alia, quæ hîc circa demonstrationem aut scientiam demonstratiuam attingi possent, opportunius vniuersaliusque circa argumentationem suæ discursum in vniuersum, circa scientiamve discursuam latius acceptam attingemus.

QVÆSTIO XII.

Quid sit argumentatio probabilis. Quid improbabilis Quotuplex. & qualis.

295 **S**uppositis, quæ de probabilitate, & improbabilitate iudicij, atque adeo opinionis humane diximus supra *disputatione sexta*, pauca supersunt dicenda: in præsentem dumtaxat eniû restat notandum argumentationem tribus ex titulis posse dici probabilem, probabilitate scilicet de qua tractamus excludente euidentiâ & certitudinem. Primo quia habet antecedens probabile; Secundo quia habet illationem probabilem. Tertio quia habet consequens probabile, quoduis enim ex his tribus habeat probabile probabilis dicetur, siue duo residua probabilia, siue euidentiâ, aut certa sint. Pariterque argumentatio dicetur improbabilis si vel antecedens, vel illationem, vel consequens improbabile habuerit, quidquid sit de duobus residuis.

296 **V**nde sequitur primo in omnibus modis arguendi legitimis ad necessario inferendum verum ex vero, quos in quætionibus præcedentibus statimus, tamen illatio semper sit euidens, utpote principis euidentibus subnixâ, probabiliter tantum, atque adeo citra demonstrationem argui, quando antecedens quod assumitur probabile tantum est. Quo casu & consequens erit tantum probabile ex vi talis antecedentis, quantumuis euidens sit illatio, qua infertur ex illo iuxta doctrinam demonstratam *disputatione sexta*, citata *quæstione quinta*. Dico Ex vi talis antecedentis, quia nihil vetat, id quod ex vi alicuius antecedentis, ex quo infertur, est tantum probabile, aliunde nihilominus esse aut certum, aut euidens. Pari ratione in prædictis modis legitimis improbabilitate dicetur argui, quantumuis illatio sit euidens, quando antecedens assumptum improbabile fuerit. Quo etiam casu improbabile erit consequens illatum, quantum est ex vi talis antecedentis præ-

cisè, quidquid sit aliunde de eo. Vt loco eisdem citato monstratum est.

Secundo sequitur. Quoties illatio est tantum probabilis, ut sæpe extra modos arguendi legitimos supradictos contingit, toties argumentationem esse tantum probabilem, atque etiam consequens probabile tantum euadere vi talis illationis, quantumuis sit certum, aut euidens antecedens: sicut tum argumentatio, tum consequens propterea illatum improbabilia sunt, quoties illatio est improbabilis; tamen si sit antecedens certum, aut euidens, ut ex doctrina etiam data 9.3. citata palam est. Illationem autem tunc esse euidens, aut probabilem, aut improbabilem, quando connexio antecedentis cum consequente, in qua fundatur, est euidens aut probabilis, aut improbabilis *disp. 6. citata* & sæpe alias in præcedentibus dictum est: sicut & ea obiecta dici euidentiâ, certa, probabilia aut improbabilia vniuersè, quæ ex vi fundamentorum quæ ad illa iudicanda extant, per iudicia euidentiâ, certa, probabilia, aut improbabilia iudicabilia à nobis sunt.

Denique aduerto, Syllogismos tantum probabiles Dialecticos nuncupari, eoque nomine à demonstratiuis distinguui. Quo etiam iure qualibet alia argumentatio quouis ex dictis modis tantum probabilis, atque adeo non demonstratiua, dialectica argumentatio vocari poterit. Locis autem dialectici nuncupantur, ea capita siue sedes vnde argumentationes dialecticæ petuntur ad probabiliter, copioseque differendum pro vtraque parte circa quamvis propositam quæstionem. De quibus locis nos infra agemus *disp. 28.* Porro de argumentationibus dialecticis, de locis dialecticis, de cæterisque eò spectantibus in libris Topicorum agunt Arist. & eius interpretes.

QVÆSTIO XIII.

Quid sit argumentatio aut etiam propositio fallax, seu deceptoria, Quotuplex, & Qualis.

Suppono primo. Logicos communiter ex Arist. *lib. 1. Topic. capit. 1. & lib. 1. Elench. capit. 1.* syllogismum pseudographum à sophistico, siue fallaci discriminare, quod primus in peculiari materia alicuius scientiæ præsertim demonstratiua decipiat. Secundus vero in quouis materia cuiusvis scientiæ præsertim probabilis. Agunt autem in præsentem, quemadmodum & in præcedentibus de syllogismo tantum spectatim; cum tamen de argumentatione potius in genere deberent agere: quandoquidem præter syllogismum aliarum argumentationes dantur, ut constat ex dictis, in quas sicut euidentiâ & probabilitas, ita etiam fallacia non minus quam in syllogismos cadere potest.

Suppono secundo. Aristotelem in libris *Elenchorum*, & cum eo Dialecticos communiter late agere de syllogismo sophistico (qui & Sophisma, & interdum Paralogismus vocari solet) deque captionibus sophistarum (quales dicuntur homines illi, qui ex simulata sapientia quæstum faciunt, contentioseque eos, cum quibus disputant, in technam aliquam, seu deceptionem sophismatis suis conantur pertrahere.) Dicunt autem primo tria esse genera sophismatum. Primum co-